



einmal verzehlt 4. III. 1915

*Siffert. theol. Vol. 35*



1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18.

2. F. F. 2. S.  
DISSERTATIONEM PRIOREM

De

# ASPHALTITE

Occasione Dicti  
*Gen. XIV. comm. 3.*

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
*Serenissimo Principe ac Domino*  
DOMINO

FRIDERICO AUGUSTO,  
Electoatus Saxonici Haerede,  
&c.

In Academia Vitembergensi  
Ventilationi exponit,  
PRÆSES

M. GVILIELMUS WILCKIUS,  
Memela - Borussus.

RESPONDENTE  
JO. ANDREA KNOBLACHIO,  
Vitemb. Saxo.

*In Auditorio Collegii veteris,*  
ANNO MDC C VI. die 27. Februarii.

---

VITEMBERGAE,  
PRELO CHRISTIANI SCHROEDTERI, ACAD. TYP.



DISSERTATIONEM PRIMUM

ASPHALTITE

RECTORIS MAGNIFICENTISSIMO  
Serenissimo Principi ac Domino  
DOMINO

FRIDERICO AUGUSTO  
Electoris Saxonici Haereditarii

M. GWILHELMUS WILCKIUS

IO. ANDREA KNOBLACHIO  
RESPONDENTE

In Auditorio Collegii veteris,  
Anno MDCCLXVI die 27. Februarii.

FRANKFURTI  
Pablo Christiani Schroederii Acad. Typ.





Gen. XIV. comm. 3.

כל־הלה חברה לל־עמק השדים  
הוא ים המלח

Πάντες ἔτοι σινεφώνησαν ἐπὶ τὸν Φαργύγγα τὴν  
αἰλυκὴν, αὐτὴ ἢ Σάλασσι πῶν αἰλῶν.

Omnes hi congregati sunt in vallem Siddim: hoc  
autem est mare salis.

Diese kamen alle zusammen in das Thal Sid-  
dim/ da nun das Salzmeer ist.

§. I.



Sphaltes Graecis dicitur.

ἄσφαλτον ἀπὸ τῆς ἀσφάλτου à Bitumi-  
ne, quia multum bituminis in hoc  
lacu gignitur, quod est in Judaea  
praestantissimum; unde scite Dio-  
scorides ἀσφαλτος ἀφ' ἧρας ἢ Ἰουδαϊκῆ  
τῆς λοιπῆς: ἔστι δὲ καὶ καλὴ ἢ πορφυρο-

δὸς σιλβουσι h. e. bitumen Judaicum omnium praestan-  
tissimum. Probatum autem, quod purpurae modo,  
splendet. Germanis hoc bitumen dicitur Judenleim/  
Erdpech. Neque alia occurrit causa, cur Asphaltites  
lacus ab Hesichio appelletur ἐρυθρὰ Σάλασσι Rubrum  
mare, quam ob bituminosum colorem. Quare recte  
annotavit Plinius Hist. Naturalis Lib. V. cap. 16. Af-  
phaltes nihil praeter bitumen gignit, unde & nomen,  
Incolis

A. 2

Incolis vocatur lacus hic Sorban, teste Francisco Junio, Arabibus Bahar Lout id est mare Lothi, de Recoles in addition. Davity in Descript. Asiae p. 174.

§. II.

Varia huic Lacui sunt nomina. Vocatur enim 1. Mare mortuum, idque 1. ob pestilentem ejus naturam. Nullum enim animal vel producit, vel conservat, unde & pisces quos Jordanus forte in id devolvit, & aquarum impetu in id deferuntur, si modo gustant pestilentem maris mortui aquam, illico aut eandem deserunt & renatant, aut ibidem permantes pestilentia istius aquae victi mori coguntur, ut B. Hieronymus in cap. 47. Ezechielis existimat. Cui nec contrariatur, ex auctoribus, qui nobis ad manus sunt, Cluverus in sua introduct. Geograph. Vet. & Recent. Lib. V. cap. 20. p. 524. his verbis: neque pisces, neque suetas aquis volucres patitur, sapore corrupto & gravitate odoris pestifer. Quod etiam innuit Tacitus, inquit, Lib. V. „Hist. cap. VI. Lacus immenso ambitu specie maris, „sapore corruptior, gravitate odoris accolis pestifer, „neque vento impellitur, neque pisces aut suetas aquis „volucres patitur. H. I. Ipso contactu animalia mori tradit Lucretius. Lib. VI. de Natur. Rerum, de variis ejusmodi noxiis aquis locutus subjungit:

In Syria quoque fertur item locus esse, videri „  
Quadrupedes quoque quo simul ac vestigia primum, „  
Intulerint, graviter vis cogat concidere ipsa „  
Manibus ut si sint divis mactata repente. „  
Plinius lib. V. Hist. Nat. cap. 15. Dirum natura vocat. „  
2. Asphaltites quoque mare mortuum nominatur ob „  
immobilitatem. A nullis enim ventis impelli potest, „  
bitumen illud est quasi operculum, mediante quo tur- „  
binibus resistitur. Quo etiam Justinus respexisse vide- „  
tur

„tur lib. XXXVI. Hist. cap. 3. cum de hoc lacu inquit: Ne-  
que ventis movetur, resistente turbinibus bitumine,  
quo omnis aqua stagnatur; ut enim frigore hyemis  
aqua glacie obducta armata quasi contra ventorum  
vim est, sic bitumine aqua illa stagnatur, id est, mu-  
niture, firmatur & induratur, ad hoc nomen Asphalti-  
tis forsitan respexit Justinus nam ἀσφαλτον Bitumen de-  
rivatur ab ἀσφαλίζω munire, verbum enim stagnare  
pro munire adhibet de Michridate Rege Ponti dicens:  
antidota saepius bibit & ita se adversus insidias exquisitis  
& tutioribus remediis stagnavit (ἀσφαλίζω i. e. munivit)  
ut ne volens quidem senex veneno mori potuerit. Di-  
citur itaque mare mortuum tum ob pestilentem ejus  
naturam, tum ob immobilitatem, quae foetorem ma-  
xime piscibus & avibus in aqua degentibus nocentem  
excitat; quod elegantissimis Poëta expressit verbis:

Cernis, ut ignavum corrumpant otia corpus,  
Ut capiant vitium, ni moveantur, aquae.

§. III.

II. Asphaltites quoque vocatur mare salum, sa-  
lis, & salinarum, propter eminentem salsedinis sapo-  
rem & amaritiam aquarum, quae salsae sunt; ut obser-  
vat Vossius Lib. II. de Idololatr. Gentil. cap. 68. p. 666.  
Mare siquidem Latinorum, ut & amarus est ab He-  
braeo מר amarus, amaritudo autem à radice מר a-  
marus fuit. Solent aquae maris esse amare & salsae  
unde & à sale mare dicitur salum. Novies vocem  
hanc in sacris literis invenimus, utpote Gen. XIV. 3.  
Num. XXXIV. 3. 12. Deut. III. 17. Joh. III. 16. XII. 3. XV.  
2. 5. XVIII. 19. Quali vero Sal gaudeat colore, an can-  
didum, an nitrosum & ob sulphuris mixtionem abomi-  
nabile sit, nobis incognitum est, cum vix ac ne vix vesti-  
gium ullum apud Historicum fide dignum de sale  
A 3 istius

istius maris inveniatur. Quomodo vero sal hoc efformetur ex Arculpho sequentibus explicavit Adamnanus de Locis Sanctis Lib. II. cap. 14. Mare mortuum, in magnis tempestatibus collisione fluctuum ad terras, sal efficit per illius circuitum maris abundanter, haberi, quod non solum undique vicinis, sed etiam longe positis nationibus magnum profectum praebet, solis calore satis sufficienter valde siccatum. Haec Adamnanus,

§. IV.

III. Asphaltitis Synonimum est mare Solitudinis & deserti. Hujus appellationis causa, quantum ex verbis Justini Lib. XXXVI. Hist. c. 3. ita se habentibus: Neque navigationis patiens est, quia omnia vita carentia in profundum merguntur, nec materiam sustinet, nisi alumine illinatur: hariolari licet, haec est, quod nulli homines in hocce mari solitudinis ob bitumen, quod eidem supernatat, navigare possint. Aliam tamen rationem hujus appellationis suppeditat Cornelius à Lapide Comment. in cap. XIX. Gen. dicit nimirum ideo mare Solitudinis, quod ab omnibus circumjacentibus campis sit desertum. Aliis vicissim magis arridet haec ratio, quod dictum mare solitudinis non solum vallem istam Siddim, quae erat quasi Paradisus Domini, sed etiam circumjacentes regiones in deserta & solitudines redegit. IV. dicitur etiam קמורי ים id est mare Orientale, quia est in Orientali plaga Jerusalem ac terrae sanctae, ut mediterraneum in Occidentali, cujus sterilitas per typum, ut sacri expositores arbitrantur, ab Ezechiele notata cap. 47. v. 8. Aquae sunt euntes ad terminum Orientalem descenduntque in planitiem, ac veniunt versus mare in mare emissae



emissae, ut sanentur aquae. v. septuaginta Interpret.  
την θάλασσαν τὴν πρώτην id est mare primum vocant,  
vi. Rubrum mare vocatur Asphaltites quoque ab Hesi-  
chio, obrubi eundem bituminis colorem ut §. I. jam di-  
ctum. Mare autem hoc probe distingvendum est,  
ab aliis maribus sitis in eadem regione. Hebraeorum  
enim Doctores scribunt septem maria & quatuor flu-  
mina ambire terram Israeliticam, mare magnum sive  
mediterraneum, mare Tiberiadis, mare Sodomiti-  
cum, mare Samachonitis, mare Decholta id est are-  
nosum in lacu Sirbonis, Mare Anamiae id est, regiuncu-  
lae Syriacae, ubi scaturigo seu Jordanis phiala, quam  
Fl. Josephus lacum nominat; & tandem mare Scha-  
chelet, de quo docti conjiciunt, idem esse quod mare  
Chazor quod Jeremiam cap. XLIX. 33. de quo consuli  
potest Lightfoot Hor. Talmud. in Cent. Chorographi-  
ca Matthaeo praemissa cap. 4. p. 13. Flumina sunt Jor-  
dan, Jarmuch, Kirmionet, & Phiga, conf. Lightfoot l.c.  
Joh. Henr. Ortho Lexic. Philol. Rabbin. p. 360. ff. Bux-  
torff. Lex. Talmud. fol. 957. Mare, de quo nobis ser-  
mo est, mare Sodomiticum existit, à Sodoma urbe  
primaria everfa ac diruta, sic dictum.

§. V.

Eam occupat Asphaltites oram, qua olim Sodo-  
ma, Gomorrha, Adama, & Seboim sitae erant; facta  
siquidem miserrima harum opulentissimarum ur-  
bium everfione ac strage, in perpetuam earum me-  
moriā pestilentissimum hoc mare existit. Hujus  
everfionis causam quod concernit, erat tempore A-  
brahami & Lothi in terrae sanctae Orientali parte  
circa Jordanem regio omnium amoenissima & ferti-  
lissima, agris uberrimis & jucundissimis praedita,  
quandoquidem illa irrigabatur saluberrimis iisque  
foecun-

foecundissimis aquis, sicut Ægyptus & olim Paradisus, quam ob causam dicitur, Lothum eam sibi delegisse, planitiem, eum in finem, ut cum Paradiso & Ægypto amoenitate & ubertate certaret, haec autem regio in planitie vallis Sylvestris erat. Ejus autem ambitu continebantur amoenissimae eaeque opulentissimae civitates, quarum incolae cum ob abundantiam omnium rerum otio, luxuria, aliisque turpissimis indulgerent vitiis, sibi malum contraxerunt, quod ipsis Deus minatus erat; factum enim, ut cum monitis morem gerrere recusarent, quatuor hae urbes cum omnibus incolis in cineres sint redactae, everfae, ingentique mortis supplicio oppressae & extinctae. Inter alia enim eorum flagitia & scelera, quorum mentionem facit Scriptura Sacra, quibusque malum hocce ipsimet contraxerunt, illud etiam referendum, quod extat Gen. XIX. capite, cujus summa haec est. Cum aliquando duo Angeli, sub humana specie ad Abrahamum venirent, eidemque narrassent supplicium Pentapolarum Civitatum jam imminere, abierunt, vesperique illius diei Sodomam pervenerunt. Quibus cum justissimus vir Lothus obviam iret, eosque roga- ret, ut in domum suam diverterent, apposito Angelis epulo lautissimo, ecce pessimorum illorum hominum concursus a puero usque ad senem facta conspiratione ad justissimi hujus viri domum confluit, eam undiquaque circumvallantes volunt educi juvenes è domo. Quibus auditis justus Lothus valde commotus egreditur, & clauso post se ostio blandis verbis illorum insaniam sedare annitebatur; cum vero videret, se nihil proficere, in tantam incidit animi perturbationem, ut pro hospitibus servandis proprias filias virgines eis obrulerit illudendas, quae tamen mirabili modo à Deo ser-

servatae sunt, nec Deus in eas tantum exerceri ma-  
lum permisit, sic ut intactae sint relictæ. Cum au-  
tem pertinacius insisterent, ab Angelis sunt coecitate  
percussæ, ut ostium, quod infringere affectabant, mi-  
nime invenirent, sed ad proprias domus se conferre  
cogerentur. Inepta & ridicula vero sunt, quæ de  
peccatis Sodomitarum everfionem illam contrahen-  
tibus produnt Judæi in Sanhedrin Excerpt. Gemar. ad  
CXI. §. 71. p. 421. seq. ubi inter alia & hæc tradunt:  
Quatuor fuisse Sodomæ Judices, mendaces, falsilo-  
quos, adulteratores, judicii que pervertores. Si quis  
mulierem verberasset, eamque fecisset abortire, in-  
jungebant marito, quo hanc ipsi daret, ut impræ-  
gnaretur ab ipso; Qui aurem asini alieni amputasset,  
eum à Domino ei tradi juebant, donec renasceretur.  
Qui alterum vulnerasset, mercedem misfi sanguinis  
solvi imperabant. Qui pontone flumen trajiceret, da-  
bat quatuor denarios, qui vado octo. Aliquo tem-  
pore fullo appulit, jusserunt quatuor denarios solve-  
re, dixit se vado transisse exigunt octo, recusat, vul-  
nus accipit; aditur judex, is respondet mercedem  
misfi sanguinis penderet, & octo denarios pro traje-  
cto fluvio. Elieser servus Abrahami, eo cum acces-  
sisset vulneratus adiit judicem, jussusque mercedem  
misfi sanguinis dare, ipsi Judici vulnus inflixit, miran-  
tique dixit, quot mihi à Te debetur, solve isti, dena-  
rii autem isti pro trajecto fluvio ita stent. Pacti erant  
inter se, ut qui alium ad nuptias invitasset, ei pallium  
detraheretur. Instituebatur quoddam convivium,  
quod accessit Elieser, & infra omnes accumbens ro-  
gabatur, quis illum invitasset? proximo dixit, annon tu  
me invitasti? Ille vero timens, ne si ea res audita es-  
set, quod ipse adduxisset Elieserem, veste sua spoliare-  
tur,

B

tur,

tur, correpto pallio foras se cursu proripiuit. Ita cum omnibus egit, donec omnibus egressis ipse epulis eorum vesceretur. Lectum habebant ad quem viatores cubitum ducebant, et si quis prolixior erat, decubabant, si quis brevior, extendebant. Elieser servus Abrahami eo cum pervenisset, iussus in lecto decubare, causatus est, votum se fecisse, ne ex eo, quo mater obiisset, in lecto dormiret. Si quis pauper ad illos veniret, denarium illi quisque suo nomine insignitum dabat, nemo autem panem porrigebat; Eo mortuo, quisque suum recipiebat. Quaedam puella panem mendico extulerat in urceo suo, id cum innotuisset, delibutam melle in tecto muri prostituerunt, quam apes advolantes consumpserunt. Et quae plures ipsorum sunt nugae, circa causam excidii quatuor illarum urbium & ortum Asphaltitis. Peccata tamen incolarum multo graviora causam interitus extitisse è S. Scriptura satis edocemur.

§. VI.

Cum itaque interitus immineret, Angeli admonuerunt Lothum, ut cum suis discessum è civitate meditaretur, ne periret. Quorum monitum cum Lothus non sequeretur, die sequenti summo mane ab Angelis coactus, ut cum suis surgeret, & exire festinaret, qui etiam ab Angelis manu ductus, ut egrederetur. Cum autem Lothus cum suis exorto jam sole Segor ingrederetur, ecce Deus mirabili quodam & inaudito portento super quatuor illas civitates, Sodomam, Gommorrham, Adamam & Seboim earumque pagos & municipia coelitus pluit ignem & sulphur magna copia, sic ut factis innumeris fere terrae motibus omnes illae quatuor civitates subverterentur. Cujus excidii interitusque historiam ipsa S. Scriptura recenset Gen. XIX; 24.

XIX. 24. *Pluit Dominus super Sodomam & Gomorrhham sulphur & ignem de coelo, & subvertit civitates has & omnem circa regionem, universos habitatores urbium, & cuncta terrae virentia.* Josephus quoque post nefanda Sodomitarum flagitia patrata inquit, Lib. 1. Antiq. Judaic. cap. 12. *Deus jaculatur telum in urbem, eamque cum incolis ipsis exurit, & agrum quoque pari devastat incendio.* Hanc cladem avertere precibus suis sollicitate admodum conatus fuerat Abrahamus, ni malitia earum ita late omnia inundasset, ut ne decem quidem innocentes in tot urbibus reperirentur. Perierunt igitur cum omnibus incolis suis hae urbes. Testes ejus rei sunt Sacrae literae. Etenim Gen. XIX. 27. & seqq. exstat. *Abraham consurgens mane ubi steterat prius cum Domino, intuitus est Sodomam & Gomorrhham & universam terram regionis illius: viditque ascendentem favillam de terra quasi fornacis fumum.* Quibus everfis postea illic immisit Dominus lacum seu stagnum, id est effecit, ut illic ex oriretur in perpetuam subversionis harum urbium memoriam mare aliquod pestilentissimum, prout testes sunt sacrae literae.

§. VII.

Dixi in praecedenti §. 5. & fine §. 6. quatuor urbes nempe Sodomam, Gomorrhham, Adamam & Seboim a Deo severo peccatorum vindice everfas & desolatatas esse, earumque locum postea occupasse Aphaltiren. Inde dubia oriuntur duo i. num Segor prius Bala sive Bale, Bela, Syriace Zoar, Zoaara, Soar & Soora dicta, in quam Lothus cum duabus filiabus fugit e Sodoma per Angelum eductus, post ejus discessum, cum prae timore e Segor migrasset, & speluncam ad habitandum cum duabus filiabus elegisset, etiam exusta, an vero Divina clementia conservata sit? Lutherus Comment. in Geneleos cap. XIX. vers. 30. existimat, eam simili mo-

do flammis evastatam esse, ita enim verba ejus se habent: *Relinquit igitur (Lothus) Zoar, quae ipsa statim quoque interit coelesti igne, sicut coeterae haustae. Nam textus clare dicit, omnem regionem esse perdendam: itaque Zoar quoque interit, quae quinta ex his Civitatibus fuit.* Equidem maxima reverentia exosculor auctoritatem summi hujus Viri, interea tamen Sacrae Scripturae auctoritatem praefereendam esse censeo, Scriptura autem Sacra de Everfione hujus Urbis filet, ergo de ejus de vastatione nil certi & firmi statuere possumus. Si illa post abitum Lothi exusta esset, certe scriptura mentionem fecisset, cum illa non minima inter has urbes extiterit. E contrario injunxerant Angeli jussu Dei Lotho, ut urbem Zoar peteret, ad salvandum se cum filiabus, addita promissione, Deum civitatem hanc non everfurum, nec igne desolaturum esse, prout ex versiculo 21. cap. XIX. Geneseos elucet, ubi dixit Angelus Lotho: *Ecce acceptavi faciem tuam etiam quoad verbum hoc, ut non evertam urbem (Zoar) de qua locutus es.* Minime quoque laudanda diffidentia Lothi, qua commorus civitate hac postea esse; existimavit enim nullam calamitatem solam esse, adeoque timuit, ne ipse cum filiabus in hac urbe severo Dei judicio oppressus interiret, cum Sodomae domus ejus, res familiaris, pecora, familia, quinimo in via uxor ejus periisset. Harum rerum itaque exemplo terribus Lothus, fidem Angelicae promissioni non dedit, & secure in ea habitavit, sed mox eam deseruit. II. Dubium ex ante dictis ortum est, utrum Asphaltites eo in loco extet, quo olim hae opulentissimae urbes Sodomā, Gomorrhā, Adama & Seboim extiterent? Josephus Lib. V. de Bello Judaico cap. V. negat Asphaltiten occupasse locum everfarum harum Civitatum, sed eidem vicinam esse

esse Sodomiticam terram dicit. Verum enim vero clara S. Scripturae litera contrarium docet, quippe quae dicit, omnes illos, qui bellum gerere praesumpserant, congregatos esse in vallem Siddim, hoc autem esse mare Salis Gen. XIV. 3. in planitie enim hujus vallis positae erant hae urbes Sodoma, Gomorrha, Adama & Seboim, prout expositores Sacri, ut Gerhardus Comment. in Genes. XIV. 3. Calovius in Bibliis Illustratis, Cornelius a Lapide aliique asserunt.

§. VIII.

In derminanda longitudine & latitudine Asphaltitis Historici scriptores admodum variant, sic ut inter tot sententiarum divortia, quaenam earum optima sit, merito dubitetur. Josephus longitudine Asphaltiten dicit esse 10 LXXX. stadiorum seu ut nonnulli interpretantur LX. milliarium, latitudine vero CL. stadiorum sive XII. milliarium Lib. V. de Bello Judaic. cap. IX. Plinio longitudine M. passuum excedit, latitudine maxima XXV. implet: minima sex. Lib. V. Natur. Hist. cap. 15. Brocardus in Descript. Palaest. p. 29. dicit, Mare mortuum latitudine, quae est ab Oriente in Occidentem, habere quinque leucas, in longitudine vero, quae est ab Aquilone ad Austrum, quinque habere diaetas, id quod ex relatione saracenorum refert.

§. IX.

Asphaltiti, ut ex tabulis Geographicis videre est, admodum vicina est statua salis, in quam Uxor Lothi conversa Gen. XIX. 26. Nonnulli hanc historiam fabulis annumerarunt, sed hos refutat ipsa Sacra Scriptura, utpote quae non fabulas fingit, sed veras historias recenset. Illam in hunc usque diem extare communiter credunt, huic tamen sententiae contrariatur Lutherus Comm. in Genes. cap. XIX.

dicens, non diu eandem perstitisse, verum simul  
cum urbe Zoar a tonitru contritam evanuisse. Jofe-  
phus tamen suo adhucdum tempore statuam hanc  
vidisse testatur Lib. I. Antiq. Judaic. c. 19. Salignacius  
item se hujus rei oculatum testem esse perhibet. Tom.  
„IV. cap VI. inquit; vidi statuam durantem atque  
„in aeternum duraturam. Verum timens pestiferam  
„regionem, diverti cum sociis itineris sinistram versus  
„Hiericho, ubi amoenus fons est Elisaei Prophetae. H.  
J. Brocardus Monachus eam accedere suo tempore  
non potuit, ut ejus testantur verba Descript. Palaest.  
„cap. VII. §. 34. Post Jericho, inquit, contra austrum  
„est Segor oppidum &c. Situam est sub monte Engad,  
„inter quod & mare mortuum est statua Salis, in quam  
„conversa est uxor Lothi, quam ut viderem ingentes  
„subii itinerum labores, sed nec desiderium meum  
„complevere datum est. Retulerunt siquidem mihi in-  
„colae, locum esse inaccessibilem, vel saltem non sine  
„periculo mortis propter feras immanes & serpentes  
„praecipue vero propter Beduinos qui loca illa inhabi-  
„tant, inhumani & pessimorum morum. Rem tamen  
„ita sese non habere postea comperi, H. J. Interea de  
„ea referunt, quod quantum a curiosulis viatoribus il-  
„lac transeuntibus decutiatur, tantundem brevi ite-  
„rum succrescat, quemadmodum legimus apud Ire-  
„naeum lib IV. c. 5. cui succenturiantem damus Quint.  
Sept. Florentem Tertullianum L. de Sodoma cap. I.  
v. 118. . . & simul illic In fragilem mutata salem stetit  
„ipsa sepulchrum, Ipsaque imago sibi formam sine cor-  
„pore servans. Durat adhuc etenim nuda statione sub  
„aethram, nec pluviis dilapsa situ, nec diruta ventis.  
„Quin etiam si quis mutilaverit advena formam, Pro-  
„tinus ex sese suggestu vulnera complet. Et Aurel.  
Pru-



Prudentium Hamartig. v. 751. Liquitur illa quidem falsis sudoribus unda, Sed nulla ex fluido plenae dispendia formae Sentit deliquio quantumque armenta saporem Attenuant saxum, tantum lambentibus humor Sufficit, attritamque cutem per damna reformat. R. Benjamin Tudelensis Itiner. p. 44. „scribit; ex monte Olivarum Sodomiticum mare „conspicitur, a mari vero illo ad cumulum Salis, in „quem Lothi uxor conversa est, duae leucae sunt; „constat enim adhuc cumulus ille, qui a gregibus aliquando lambendo imminutus, denuo ad pristinam „crescit molem. Plura de hac statua qui desiderat, adeat Augustin. Lib. I. de Mir. script. Cap. 11. Victorium Maffiliensem Lib. III. in Genes. Alcimium Avitum Lib. II. v. 390. Job. Mencerum in Genes. cap. 19. p. 362. Wigandum Confid. de Sale p. 134. D. Conrad. Dietericum Conc. sup Lib. Sap. part. I. pag. 63. Herm. Lignaritum Oblect. Acad. cap. 28. p. 238. Christ. Beccmannum de Orig. L. L. pag. 568. Joh. Weitzium ad Prud. pag. 674. & alios.

§. X.

Influunt in mare mortuum varii fluvii. Primus autem est Jordan. In hoc Jordane fertur amoenissimas gustuque dulcissimas contineri aquas, in hoc tamen tremendo & foetido mari aquas non permiscere, sed priusquam attingat mare, sub terram se recipere. Melior tamen sententia haec est, qua dicunt, aquam ex Jordane quidem ingredi ipsum mare, sed etiam exire & interposito modico intervallo ab egressu sub terra absorberi. Hujus sententiae, „assertor est Plinius Lib. V. Hist. Nat. cap. 15. Jordanis, inquit, amnis oritur e fonte Paneade qui cognomen

„men dedit Caesareae, Amnis amoenus & quatenus  
„locorum situs patitur, ambitiosus accolis se prae-  
„bens. Velut in vitus Asphaltiten lacum, dirum natu-  
„ra, petit, a quo postremo ebibitur, aquasque laudatas  
„perdit, pestilentibus mistas. H. J. Nec dissentit So-  
„linus Polyhist. cap. 38. Judaea illustris est aquis, sed  
„natura non eadem aquarum omnium, Jordanus a-  
„mnis eximiae suavitatis, Panaide fonte demissus, re-  
„giones praeterfluit amoenissimas, mox in Asphaltiten  
„lacum mersus, stagno corrumpitur. Ut & Tacitus  
„Lib. V. Hist. inquit: Libanus mons amnem Jorda-  
„nem alit funditque. Nec Jordanes pelago accipi-  
„tur: sed unum atque alterum lacum integer per-  
„fluit, tertio retinetur. H. J. Illos nempe Samachoni-  
„ten & Gennesareth intelligit, hunc Asphaltitem sive  
„mare mortuum. Alter fluvius qui in Asphaltitem fluit  
„dictus Arnon. Tertius Zareth, prout ex tabulis Geo-  
„graphicis edocemur. Vid. Heidmanni Tab, III. De-  
„script. Palaest.

§. XI.

Nunc pergendum esset, atque memorabilia,  
quae passim apud Historicos scriptores de Asphal-  
tite annotata sunt, apponenda essent, sed chartae li-  
mites pro more praescripti non permittunt,  
quare ea in posteriori disputatione,  
Deo volente, dabimus.



Aug VI 15



Sb.

Reho  
VD 17  
KD 18 1







2. F. F. 2. S.  
DISSERTATIONEM PRIOREM

50

524

De

# ASPHALTITE

Occasione Dicti  
*Gen. XIV. comm. 3.*

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
*Serenissimo Principe ac Domino*  
DOMINO  
FRIDERICO AUGUSTO,  
Electoatus Saxonici Haerede,  
&c.

In Academia Vitembergensi  
Ventilationis exponit,  
PRÆSES

M. GVILIELMUS WILCKIUS,  
Memela - Boruffus.  
RESPONDENTE  
JO. ANDREA KNOBLACHIO,  
Vitemb. Saxô.

*In Auditorio Collegii veteris,*  
ANNO M D C C VI. die 27. Februarii.

---

VITEMBERGAE,  
PRELO CHRISTIANI SCHROEDTERI, ACAD. TYP.

